UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Caput I. De Voluntarietate Actus humani.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40701

Visual Library

militantem; vel *anagogicus*, qui spectat res ad vitam aternam, aut triumphantem Ecclesiam pertinentes; vel *tropologicus* aut *moralis*, qui est de rebus ad mores pertinentibus. A sensu *mystico* probè, discerni debet sensus *adcommodatitius*, qui sc. nec immediatè, nec mediatè per verba S. Scripturæ exprimitur, ideoque nec à Spiritu S. intentus est.

DISSERTATIO II.

De homine lapso.

Innocenti Homini succedit homo lapsus. Duplex autem hominis lapsus distingui potest, alius *originalis*, cùm nempe omnes *Adæ* posteri (excepta B. V. Maria) legem divinam in *Adamo* tamquam in Capite morali transgressi sunt; de quo videatur *Tomus* III. Alius *personalis*, dum quis voluntate physice propriâ legem Dei violat. Hic autem lapsus personalis cùm libera legis transgressio sit; ea quæ ad libertatem in statu naturæ lapsæ pertinent, hoc loco primùm discutiemus, de Legibus deinde acturi. Libertatis verò indoles & natura ut clarior sit; quæ ad voluntarietatem actûs humani pertinent, prævie exponenda sunt. Utrique moralitas humanorum actuum haud incongruè subjicietur. 53.

CAPUT I.

De Voluntarietate actûs humani.

Actus humani à TT. vocantur illæ actiones, quæ ab homine fiunt humano modo, *h. e.* deliberatè, & ex libera voluntate. *Illæ solæ actiones vocantur propriè humanæ* (inquit S. Thomas 1. 2. *q.* 1. *a.* 1. 54. Actus humanus.

a. 1.) *quarum homo est Dominus. Est autem homo dominus per rationem & voluntatem; unde & liberum arbitrium esse dicitur facultas voluntatis, & rationis. Illæ ergo actiones propriè humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt.* Quæ autem ab homine fiunt merè naturaliter, veluti respiratio; aut citra advertentiam & deliberationem, *actus hominis* dicuntur. *Siquæ autem aliæ actiones homini conveniant, possunt dici quidem hominis actiones, sed non propriè humanæ, cùm non sint hominis, inquantum homo.* Idem S. D. *loc. cit.* Actus humani vel sunt *eliciti*, qui à voluntate immediatè & immanenter procedunt, uti actus amoris; vel *imperati*, qui ex voluntatis imperio ab aliis potentiis producuntur, veluti locutio. Quin actus ab ipsa voluntate elicitus aliquando imperatus est, ut cùm voluntas actum contritionis sibi imperat. Quo quidem in casu actus ille elicitus simul *imperans* nuncupatur, eoquod alium adhuc actum imperet.

55. Voluntarium.

Voluntarium est, *quod à principio intrinseco, affectivè, & cum cognitione finis procedit.* Itaque actio posita ab homine per vim coacto, vel contra efficacem voluntatis inclinationem, aut citra cognitionem finis, objecti, & circumstantiarum ad rem pertinentium, veluti ab homine ebrio, eidem propriè & in se voluntaria non est. Sic homicidium, quod quis manu tuâ per vim apprehensâ perpetrat, tibi voluntarium non est; neque etiam occisio, quam ab alio fieri desideras, quin physicè, aut moraliter in eamdem influas, voluntaria tibi est, quamvis volita sit; ipsum tamen hujusmodi

desido-

desiderium tibi est voluntarium, & ad culpam imputabile. Si occidis patrem, invincibiliter judicans esse feram; equidem voluntaria est occisio, at non homicidium; sin constet esse hominem, quem trajicere paras, sed invincibiliter ignores esse patrem; ubi occidis, voluntarium est homicidium, non verò parricidium. In foro tamen externo præsumptio stat contra reum, nisi veritate elidatur. Sæpius igitur actio est voluntaria, quin circumstantiæ sint voluntariæ, quia cognitæ non sunt. Voluntario opponitur *violentum*, quod provenit à principio extrinseco, passo efficaciter renitente. Actus brutorum *spontanei* duntaxat dici debent, quia proportionem mediorum cum fine non cognoscunt. Neque etiam motus vitales hominis voluntarii propriè sunt, eoquod à prævia cognitione dirigi nequeant, ut sint, vel non sint; ut hoc vel alio modo peragantur. Nolitiones autem hominis propriè sunt voluntariæ, quia ille ipse actus, quo aliquid respuitur, volitus est, licet objectum ipsum, utpote à voluntate rejectum, non sit volitum. Ceterà ipse actus volitionis dicitur voluntarius *formaliter & in se*, cùm ipsum objectum volitum nonnisi *extrinsecè* voluntarium denominetur; quod proinde vel *actu* voluntarium est, si volitio in se, & actu adhuc existit; aut *virtualiter*, ubi volitio in aliquo solum effectu perduret; aut *habitualiter*, cùm volitio actualis præcessit, quin vel in se, vel in aliquo effectu persistat, nec tamen etiam retractata est; sic peccatum non retractatum manet habitualiter voluntarium.

Voluntarium 1o. aliud est *purum*, quod ex sola voluntatis inclinatione procedit, quin conjun- 56. Divisio

vo- luntarii. ctam habeat inclinationem in oppositum. *Mixtum* aliud, quod adjunctam hujusmodi inclinationem habet. Patet in casu, quo mercator ex metu naufragii merces in mare projicit, non projecturus, quodsi naufragii periculum abesset: hæc nempe projectio mercium simpliciter (non tamen purè) voluntaria est, quia fit juxta efficacem voluntatis inclinationem; hic tamen voluntatis consensus quia cum aliqua renitentia, licet inefficaci conjunctus est; idcirco ista actio simpliciter voluntaria est, & secundum quid involuntaria, adeoque exemplum voluntarii mixti præbet. 2°. Aliud est voluntarium *in se*, & *directum*, quod voluntas immediatè, & in se intendit; aliud *indirectum* & *in causa*, quod quis vult in sua causa, cum qua videlicet illud connexum esse cognoscit, Ut verò quid in causa voluntarium sit, requiritur primò, ut quis potuerit, ac debuerit prævidere effectum illum ex tali causa secuturum esse. Hinc ebrietas *Noë* à culpa excusari solet, eoquod vini ignoraverit vires. Sic etiam perjuria in plena ebrietate prolata non censentur *moraliter* voluntaria illi, qui pejerandi periculum antea inculpabiliter ignoravit. Secus si hujusmodi jam aliàs à se prolata scivit. 2dò ut in ejus potestate fuerit causam ponere, vel non ponere; alioquin sicut causa non est libera, & imputabilis, ita nec effectus. Sic homicidium in urbe patratum non est moraliter voluntarium Gubernatori, si illud impedire non potuit. Secus si ratione sui muneris impedire illud potuisset, & vel ideo ex justitia fuit obligatus ad impediendum illud. Immo quoad culpam contra charitatem est imputabile illi, qui ex charitate illud impedire tenebatur, nec impedivit;

quam-

quamvis talis propriè homicida non sit, quia non peccavit contra justitiam, ideoque nec homicidæ pœnis in foro externo subjacet. 3tio ut causam, ex qua sequitur effectus malus, teneatur auferre. Hinc moraliter voluntarii sunt motus inhonesti ex lectione aut aspectu obscœnorum graviter illicito provenientes. Ex opposito nequit imputari Magistratui blasphemia subditi justo supplicio adfecti. His adde: ut effectus sit moraliter voluntarius in causa *per se*, vel *physica*, vel *morali*, satis est, quòd ea causa ut ab agente posita sit causa per se effectûs prævisi, nec requiritur, ut adsit præceptum vitandi causam secundùm se: patet in casu, quo quis sagittâ trajicit hominem, quem vincibiliter putabat esse feram. Nec tamen ideo damnum proximi est mihi moraliter voluntarium, quod ille sentit ex aqua in fundum ejus defluente, quam de jure à fundo meo prohibeo, quia illa derivatio aquæ est solùm causa per accidens istius damni. Ut verò effectus sit moraliter voluntarius & imputabilis in *causa per accidens*, requiritur, ut talis causa sit prohibita eo fine, ne talis effectus sequatur; vel etiam satis est, si causa ponatur ex intentione talis effectûs. Hinc motus inhonesti non censentur voluntarii Medico ex officio agenti cum ægrotis. Nec furtum servi est voluntarium Domino, absque intentione furti arcam apertam relinquenti, ut servi fidelitatem periclitetur.

Voluntario opponitur *involuntarium*, quod vel est *negativè* tale, in sola negatione actûs voluntatis consistens; vel *positivum* cùm voluntas positivè resistit. Causæ *non voluntarii* communiter quatuor censentur, videlicet *vis*, *metus*, *concupiscentia* & *igno-* 57. Involuntarium ejusque causæ.

ignorantia. Violentum S. THOMAS 2. 2. *q.* 175. *a.* 1. vocat, *cujus principium est extra, nil conferente eo, quod vim patitur.* Et *violentia*, seu vis absoluta, *l.* 2. ff. *quod met. caus. est majoris rei impetus, qui repelli non potest.* Violentia hæc soli corpori inferri potest, quia voluntas nequit cogi, quantum *ad actus internos & elicitos*, alioquin fieri posset, ut, cùm volumus, non velimus; immo nec quantum ad *actus imperatos ut tales*: hi enim fiunt ex imperio voluntatis; igitur non reluctante voluntate. Confessio rei tormentis extorta non est strictè coacta, quia non est à principio extrinseco, & contra voluntatem efficacem, sed ab intrinseco procedit, ideoque reo est simpliciter voluntaria, quamvis secundum quid involuntaria sit, utpote contra vehementem rei inclinationem, & oppositam noleitatem. Ex eodem capite à culpa excusati non sunt, qui tormentorum vi à Fide defecerunt. Qui in Historia Ecclesiastica leguntur per vim & coactionem ad sacros Ordines promoti, illi vel in sui ordinationem (quod verosimilius est) post longam tergiversationem, saltem interiùs consenserunt; vel invalide ordinati fuissent, quod tamen vix dici potest de illis, qui subinde ordinum ministeriis perfuncti sunt. Actiones ex *metu* factæ simpliciter voluntariæ sunt, quia ex imperio voluntatis procedunt cognitione finis prælucente. Quamvis non rarò *secundum quid* involuntariæ sint, ut cùm molestæ sunt, & damnosæ; tunc enim voluntas, saltem inefficaciter renititur. Attritio autem ex metu gehennæ concepta, ut salutaris sit, simpliciter & purè voluntaria esse debet, alioquin affectum ad peccatum non exclude-

cluderet. Ceterà ex nullo metu licitum est violare præceptum in illis circumstantiis, in quibus adhuc obligat etiam in casu metûs, veluti si actus, ad quos metus impellit, sint intrinsecè mali. Hinc nec mortis metus excusat à mendacio. Sin ea, ad quæ quis ex metu impellitur, intrinsecè mala non sunt, facit sæpe metus gravis, ut lex in tali casu non obliget. Sic comedens carnes, quo die prohibitæ sunt, ex metu mortis intentatæ, non peccat, quia lex cum tanto incommodo non obligat; nisi talis comestio cederet in contemptum vel odium Religionis.

58. Concupiscentia.

Concupiscentiæ nomine hìc intelliguntur inordinati corporis animique motus ad bonum sensibile. Alia est *antecedens*, quæ voluntatis consensum præcedit, atque in eum influit, ideoque & voluntarium causat, immo auget; facit enim, ut voluntas majore conatu, & adfectu intensiore in objectum delectabile feratur. Cum tamen hæc concupiscentia antecedens aliquando causa sit, ut intellectus longè intensiùs sese applicet ad contemplandum objectum concupitum, & motiva allicientia; à considerandis verò motivis retrahentibus vel avertatur, vel omnino impediatur inde minuit, vel omnino tollit indifferentiam voluntatis, & libertatem, ac proinde ipsum etiam peccatum. *Passio* (inquit S. Thomas de malo *q.* 3. *a.* 11.) *diminuit rationem meriti & demeriti, quia meritum & demeritum in electione consistit, ex ratione præcedente. Passio autem obnubilat, vel etiam ligat judicium rationis. Quantò autem judicium rationis fuerit purius, tanto electio est perspicacior ad merendum, vel demerendum.* Et 1. 2. *q.* 77. *a.* 7. *Passio*, in-

quit, *quandoque est tanta, quod totaliter aufert usum rationis, sicut patet in his, qui propter amorem, vel iram insaniunt, & tunc si talis passio à principio fuerit voluntaria, imputatur actus ad peccatum, quia est voluntarius in sua causa, sicut etiam de ebrietate dictum est. Si verò causa non fuerit voluntaria, sed naturalis... actus omnino redditur involuntarius, ac per consequens totaliter excusatur à peccato.* Alia est *consequens*, quæ voluntatis actum consequitur, ab eoque pendet, veluti cum ex intenso voluntatis affectu in objectum sensibile excitatur passio in appetitu inferiore. Nempe motus appetitûs sensibilis, si vehementes sunt, in partem hominis inferiorem redundant. Atque hæc concupiscentia quia utpote consequens non movet voluntatem; idcirco nec auget, nec minuit voluntarium, aut liberum. Deque hac intelligi debet S. Thomas *q.* 66. *a.* 6. in ⊙ dicens: *Quanto aliquis majori libidine, vel concupiscentia peccat, tantò magis peccat*, inquantum sc. ex illa major præviæ voluntatis intensio colligitur, aut voluntas non obstante rationis advertentiâ & libertate magis magisque inflammatur. Cetera TT. varios concupiscentiæ motus meritò discernunt: alios dicunt motus *primo primos*, qui omnem prorsus rationis usum & advertentiam de inhonestate morali antevertunt. Alios vocant *secundo primos*, qui exsurgunt cum semiplena rationis advertentia ad malitiam. Denique *secundo secundi* sunt, qui deliberatè & cum plena rationis advertentia admittuntur. Primi illi ab omni culpa immunes sunt: 2di nonnisi peccata venialia sunt, tametsi circa gravem materiam versentur; postremi

mi à gravi culpa non vacant in materia venerea; in ceteris, si materia gravis sit: nam motus secundo secundi appetitûs irascibilis non erunt nisi venialis culpa, si materia fuerit levis. Itaque meritò Pius V. damnavit hanc *Baji* propositionem 75. *Motus pravi concupiscentiæ sunt prostatu hominis vitiati prohibiti præcepto: Non concupisces; unde homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur præceptum: Non concupisces; quamvis transgressio in peccatum non imputetur.* Non minùs reprobanda est hæc dictio *Jansenii* L. 2. *de statu nat lapsi.* c. 14. *Desideria peccatorum non tantum deliberata, sed etiam talia, quæ rationem antevertunt, sunt mala, turpia, illicita.* Certè *Lutheri*, & *Calvini* error fuit, quòd dicerent, concupiscentiam tam in renatis fonte Baptismatis, quàm non renatis, esse peccatum. Errorem hunc damnavit Synodus Tridentina *Sess.* 5. *can.* 5.

QUAESTIO I.

Quomodo Ignorantia vincibilis se habeat ad voluntarium?

Inter ignorantiam & nescientiam S. Thomas 1. 2. q. 67. a. 2. hoc statuit discrimen, quòd illa sit privatio, vel carentia scientiæ eorum, quæ homo scire tenetur; nescientia autem sit carentia scientiæ indebitæ. Est autem ignorantia 1°. alia *juris*, qua lex ignoratur, ut si quis ignoret SCto *Macedoniano* vetitum esse filiofam. dare mutuum. Alia *facti*, ut si quis dans mutuam alteri pecuniam, hunc esse filiumfam. ignoret. Ad ignorantiam Juris 59. Ignorantia & illius species.

ris revocatur *ignoratio pœnæ*, ut ſiquis percuſſioni Clerici ignoret adnexam eſſe pœnam excommunicationis. Utraque tam Juris, quàm facti ignorantia vel eſt *antecedens*, quæ omnem voluntatis actum antecedit, atque ideo nullâ ratione voluntaria eſt, unde & *invincibilis* dici ſolet, ac proinde ab omni peccato excuſat. Vel eſt *concomitans*, cum qua actio ſubſecuta ita ponitur, ut etiam poneretur, quamvis ignorantia abeſſet, ut ſiquis vehementer cupiens occidere inimicum, hunc minimè cogitans occidat, invincibiliter ratus eſſe feram. Vel eſt *conſequens*, quæ voluntatis actum conſequitur, unde & aliquo modo volita eſt, ideoque & *vincibilis*. De hac ignorantia dicit S. Thomas I. 2. *q.* 76. *a.* 3. quòd ſit *voluntaria vel directè, ſicut cùm aliquis ſtudioſè vult neſcire aliqua, ut liberiùs peccet; vel indirectè, ſicut cùm aliquis propter laborem, vel propter alias occupationes negligit addiſcere id, per quod à peccato retraheretur.* Ignorantia directè volita dicitur etiam *adfectata*, utpote *eorum, qui ſcire nolunt*, ut loquitur S. Augustinus L. *de peccat. mer.* c. 3. Indirectè autem volita *negligentiæ* notam habet, atque ideo varios gradus habet, prout negligentia major, vel minor eſt. *Levis* cenſetur, cùm indagandæ veritati magna equidem diligentia impenditur, ita tamen, ut quædam negligentia interveniat; proin etiam venialiter ſolùm culpabilis eſt. *Craſſa & lata* datur, quando vix ulla adhibetur diligentia in veritate inveſtiganda. His poſitis facilè ſtatues, illud, quòd ex ignorantia *antecedente* fit, eſſe involuntarium ſaltem interpretativè, quia comedens v. g. carnes die prohibito, ſic animo diſpoſitus eſt, ut

omni-

omnino istam comestionem non vellet, si de præcepto prohibitivo cogitaret. Ignorantia autem *directè* volita voluntarium adeo non minuit, ut potiùs augeat; *ex intentione enim voluntatis* (ut ait S. THOMAS 1. 2 *q.* 76. *a.* 4.) *ad peccatum provenit, quòd aliquis vult subire ignorantiæ damnum, propter libertatem peccandi*; quamvis minuere videatur ex parte cognitionis, quia ubi est ignorantia quæcunque, ibi minùs cognitionis est. Multò magis ignorantia *indirectè* volita minuit voluntarium, ac proinde etiam peccatum, sive cognitionem spectes, sive adhæsionem voluntatis; non tamen à peccato excusat, cùm vincibilis sit; quod autem fit ex ignorantia vincibili, re ipsa volitum & cognitum est in sua causa, videlicet ignorantiâ, quam agens potuit, ac debuit impedire, aut tollere Unde DAVID *Ps.* 24. petit veniam eorum, quæ ex hujusmodi ignorantia commiserat, dicens: *Ignorantias meas ne memineris Domine.* Equidem in casu, aut in sensu composito ignorantiæ vincibilis cujuscunque deest cognitio certa aut probabilis de lege existente; adest tamen suspicio vel dubium, ne fortè lex existat; qui igitur non obstante hoc dubio aut suspicione agit absque inquisitione veritatis, ita animo comparatus est, ut actionem poneret, etiamsi lege prohibitam sciret; & vel ideo culpæ ac pœnæ reatum contrahit.

60. Advertentia rationis.

Ut quis censeatur peccare ex ignorantia vincibili, requiritur aliqua advertentia ad legem Dei, vel malitiam actûs, sic nempe, ut operans saltem formidet, aut suspicetur, ne id, quod agit, inhonestum sit; & tamen negligat veritatem indagare.

gare. Nam ignorantia censetur theologicè vincibilis, & culpabilis, cùm datur potentia proxima illam vincendi (alioquin nulla daretur ignorantia invincibilis, quia omnis ignorantia remotè, & absolutè, saltem per specialem Dei illustrationem superari potest) Hæc autem non datur, ubi nulla est rationis advertentia ad legem, vel malitiam actionis, quia sic nihil est, quod veritatis investigationem suadeat, cùm tamen ratio sine motivo aliquo prudente agere non soleat. Præterea quo pacto malitia actionis homini voluntaria sit, qui nullam illius cognitionem habet? Atque hæc dicta maximè procedunt de illis, qui bonâ fide operari consueverunt, debitamque honestatis & salutis suæ rationem habent. Siquis enim ex eorum numero sit, qui *Jobi* 21. dicebant: *Recede à nobis: scientiam viarum tuarum nolumus*; qui, inquam, mundo carni & dæmoni indulget omnia nihil eorum scire cupiens, quæ Fidei & morum sunt, quæque ad statum & munia sua pertinent; videntur, huic voluntariæ prævaricationes esse, tametsi ad singularum actionum inhonestatem ratio non advertat, aut etiam absit suspicio, ne id, quod nunc agit (nisi actio ex se honesta sit) illicitum sit. Talis enim quòd nullam habeat cognitionem de his, quæ ignorat, aut de inquirendi obligatione; hoc ipsum ei *indirectè* voluntarium est, quatenus directam & expressam voluntatem habet nihil sciendi eorum, quæ ad se pertinent; cùm sciat hac ratione multa se ignoraturum esse, quæ scire illum oporteret. Tenetur itaque retractare causam, sive ignorantiam, omnesque actus malos inde secutos confiteri. Addunt tamen nonnulli, actus hujusmodi peccaminosos

sos non imputari ad novam pœnam distinctam ab illa, quam quis meritus fuit ponendo causam; adeo quidem, ut siquis leviter duntaxat peccasset illam ponendo, actum quoque, qui inde secutus est, tantùm veniale peccatum sit, tametsi actus secundum se gravis foret; veluti siquis alteri ex ignorantia solùm leviter culpabili dedisset venenum, ajunt mortem inde causatam ipsi equidem imputari, at nonnisi ad culpam levem. In praxi tamen & re ipsa hæc & similia, saltem generatim, à peccato mortali disjungi vix posse videntur.

Respondetur ad objecta.

Obj. I. Si ad hoc, ut quis ex vincibili ignorantia peccet, requiritur advertentia rationis, gravissima sæpe scelera excusationem obtinebunt in iis, quos pravi atque inveterati habitus ad peccandum inclinant, quosque inordinati adfectus propè excæcant: hujusmodi enim cùm inhonestè agunt, neque ad legem Dei, neque ad objecti malitiam attendunt; quin tamen dici possint ex ignorantia invincibili operari. *Resp.* In praxi fieri vix unquam posse, ut talis homo nullâ prorsus ratione vel ad legem, vel ad malitiam actionis attendat: tum quia prima & generalia honestatis principia homini congenita sunt; tum quòd conscientia læsa non facile desinat reclamare; sæpe etiam ipsa Societas humana, ejusque vincula & mores talium actionum turpitudinem exprobrant; neque inter gentes moratas quemquam facilè invenias, qui in meridie, & aliorum conspectu similia patrare audeat; proinde homo & in semet ipso habet, & in aliis, atque in ipsis

ipsis adeo rebus inanimatis, unde intelligat debitum & obligationem vel abstinendi, vel saltem inquirendi; quo neglecto quis neget eum cum aliqua rationis advertentia ad legem, aut malitiam actûs operari? si tamen supponas, omnem prorsus advertentiam rationis abesse; ad summum talis actus erit peccaminosus in sua radice; quatenus ponens causam jam tum in actionem hujusmodi consentit, quando advertit illam ex ignorantia sua secuturam esse. Ceterà placitum TT. certissimum est, peccatum quodvis esse voluntariam & liberam legis transgressionem: repugnat autem actum esse *moraliter* voluntarium & liberum, ubi nulla datur cognitio, ac ne suspicio quidem legis existentis, vel malitiæ actionis, uti manifestum est in amentibus, & infantibus, atque etiam in motibus primo primis respectu hominis adulti, & sanæ mentis.

Inst. 1. Qui ex proposito negligit concionem, ne audiat denunciari jejunia per hebdomadem fortè occurrentia, peccat plenâ refectione in die jejunii sumptâ, quamvis non cogitet de malitia hujus actionis. *Resp.* Qui fieri posse credam, ut tali, cùm jam ab initio suspicatus fuerit, ne dies jejunii eâ hebdomade occurrerent, nulla deinceps suspicio occurrat de obligatione jejunandi? proinde ad inquirendam veritatem tenetur, quæ ipsa obligatio cum aliqua rationis advertentia ad legem, vel malitiam comestionis conjuncta est. Immo jam tunc sufficienter advertebat ad inhonestatem actionis, cùm ignorantiam voluntariè admisit, eoquod prævidere posset, & deberet, ex hac sua ignorantia actus prohibitos fortassis secuturos esse.

Inst.

Inst. 2. Certum est, ex ignorantia vincibili peccasse eos, qui Apostolos occiderunt: illi autem ad legem prohibentem, vel actionis malitiam adeo non adverterunt, ut etiam putaverint obsequium se præstare Deo *Resp* Falsum est, occisores hujusmodi, saltem omnes, nullo modo advertisse ad legem & malitiam actionis: Apostolorum prodigia, vitæ sanctitas, mansuetudo, patientia, aliaque facta præclarissima, quæ in ore omnium conspectuque versabantur, an sceleris atrocitatem prorsus incognitam sinerent? esto, obsequium se præstare Deo arbitrati fuerint; at certè oppositum formidabant.

Obj. II Ignorantia vincibilis ex communi notione est, quæ potest, ac debet deponi; sæpe autem deponi absque ulla rationis advertentia ad legem, vel actionis malitiam posset, modò commodi aut incommodi exinde nascituri ratio haberetur, aut homo ad se ipsum suasque actiones magis attenderet. *Resp.* Recepta illa à TT. notio ita intelligi debet, ut ignorantia sit vincibilis, quæ *proximè* deponi potest; alioquin omnis ignorantia esset vincibilis, quia nulla, aut vix ulla est, quæ *remotè* deponi nequeat. Commodum verò, aut incommodum, quod ex actione nascitur, necdum facit, ut operatio *moraliter* voluntaria sit, *h. e.* imputabilis ad demeritum, quia sic nondum cognoscitur moralis honestas, aut inhonestas, neque existentia legis. Et nonne id ipsum commodum, vel incommodum actionis cognoscitur, ubi actio ponitur ex ignorantia invincibili? vel igitur illa cognitio non sufficit; vel nulla datur ignorantia invincibilis. Ad ultimum quod attinet: pone hominem continuò ad se suaque reflectentem: is procul dubio lapsus suos præ alio sui incurio faciliùs cognoscet;

at

at non sine rationis advertentia ad legem, vel honestatem, aut inhonestatem actionis operabitur. Et nihilominus cum Propheta clamare poterit: *Ab occultis meis munda me.* Ps. 18. vel dicere cum Apostolo: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*; quia hominis etiam solertissimi memoriam fugiunt plures actus interni, sæpe etiam externi, qui cùm fiunt, vix percipiuntur, quin tamen omnino non percipiantur.

α) Non modicum est discrimen inter ignorantiam, & inadvertentiam, inter peccata ignorantiæ, & peccata inadvertentiæ. Ignorantia quippe opponitur scientiæ, inadvertentia autem soli reflexioni. Peccare ex ignorantia, est violare legem ignoratam, sive hæc ignoretur absolutè, sive ignoretur obligatio, quam lex nobis imponit in ordine ad certas actiones, & certas circumstantias. Peccare autem per inadvertentiam, est transgredi legem, non ignorando istam, aut obligationem ex ea natam, sed ex defectu actualis ad eam attentionis, aut reflexionis ad circumstantias, in quibus sumus constituti.

β) Sicut datur ignorantia culpabilis, & non culpabilis, ita dantur inadvertentiæ culpabiles, & non culpabiles: prioris generis sunt, quæ nobis sunt involuntariæ; istæ nobis voluntariæ. Causæ inadvertentiarum hujusmodi in nobis sunt vel virtutis imaginatricis volubilitas, vel inconstantia animi, vel adfectus malè ordinati, aut prava consuetudo; his enim stantibus tametsi nostrarum obligationum habere notitiam possimus, sicque ignorantia absit; sæpe tamen nos impediunt, quominus ad officia nostra, & obligationes animum reflectamus; qui ipse reflexionis defectus inadvertentiam constituit. Et quidem si ista causatur à primis & indeliberatis passionis cujusdam nos subito abripientis motibus; tunc neque voluntaria nobis est, neque libera, ideoque nec peccatum. *Nemo enim peccat in eo, quod cavere non potest.* Ita S. AUGUSTINUS L. 3. de *lib. arb.* Si verò impetus passionis, aut imaginationis nostræ diutius perseveret ob quamdam negligentiam

volun-

voluntatis noſtræ illum reprimere negligentis, ita ut per hoc mens noſtra de novo impediatur reflexionem circa malum facere; tunc inadvertentia evadit voluntaria, non quidem in ſe, ſed in ſua cauſa, quæ eſt ille ipſe impetus paſſionis, aut imaginationis, quem voluntas ſtatim ac advertit, reprimere negligit; magis autem aut minus grave peccatum erit, quo materia majoris aut minoris momenti fuerit, aut major minorve negligentia interceſſerit Siquis deliberatè ac ſtudio in tali occaſione mentem ſuam à lege Dei avertat, ut eam occupet v g. cogitatione de objecto peccaminoſo, ac ne turbetur idea grata, quam habet de illicita voluptate; tunc inadvertentia ſic cauſata & ipſa peccaminoſa eſt, & plures effectus peccaminoſos poſt ſe trahit. Deordinatio, & adhæſio mentis ad objectum prohibitum, ad illam inadvertentiam conſequentes juſtè imputantur, æque ac ipſa inadvertentia Proinde voluntas in tali caſu cauſans inadvertentiam, inadvertentia ipſa, & quæ hanc conſequitur, perverſa voluntatis ad objectum vetitum adhæſio, totidem peccata ſunt, vel potius ob unionem, qua omnes hi actus interiores ad invicem connectuntur, & ob dependentiam, qua unus ab altero dependet, moraliter nonniſi unum ſolum peccatum ſunt, plurium actuum malitiam in ſe continens, quorum ſinguli divinæ Legi adverſantur

7) Sequitur ex his, inadvertentias noſtras tantò magis culpabiles eſſe, quanto plus libertatis in illis eſt. Ceterà perplexitates, atque incertitudines, in quibus viri etiam docti, & timorati perſæpe hac in parte verſantur, ſatis oſtendunt, nos in nobis ipſis non habere certam veritatis regulam, quæ ad omnes noſtros motus internos ſe extendat, ut eorum libertatem ac neceſſitatem exactè diſcernere valeamus; ſicut nec certa & generalis regula in nobis eſt ad diſcernendos diverſos libertatis gradus, ſecundum quorum proportionem peccati gravitas in hujusmodi caſibus creſcit, aut diminuitur. Iſtud facilè largiuntur omnes, inadvertentiæ ſemideliberatæ peccata, & in materiis levioribus, ordinaria eſſe etiam hominum vitæ cæteroquin integritatis amantium & ſtudioſorum. Nimirum hi quoque levem quamdam, & confuſam malitiæ ideam utplurimum habent, quæ ipſum præceſſit actum, quo voluntas peccatum admi-

ſit

sit. Inter hæc peccata dantur aliqua, quorum non reminiscimur; & alia quorum memoria occurrit, quin tamen recordemur amplius, in illo objecto malitiam quamdam nos apprehendisse; eoquod præterita illa perceptio adeo levis fuerit, ut nullum ejus vestigium in cerebro remanserit, quo illius recordatio rursus excitari posset. Atque hæc sunt illa peccata, quorum veniam petierunt Sancti dicentes: *ab occultis meis munda me Domine.*

δ) Vocantur itaque hæc peccata inadvertentiæ, non quòd omnem libertatis usum excludant, aut omnem omnino reflexionem supra malitiam objecti; nam repugnat dari peccatum sine libertate, & libertatem sine cognitione; sed quatenus opponuntur illis, quæ cum advertentia, & plena reflexione committuntur; tum etiam, quia in instanti, quo ea committimus, actualem malitiæ cognitionem non habemus, sed jam habuimus antea, quæ tamen dissipata est ob motivum quoddam speciosum, cui amor nostri proprius mentem nostram continuò applicuit, sicque nos ipsos seduxit.

ε) Catholici omnes principii loco ponunt, nullum dari peccatum actuale, quod effectus non sit libertatis nostræ vel mediatus, vel immediatus; simulque aliam veritatem tamquam certam, & irrefragabilem supponunt, dari videlicet peccata inadvertentiæ, ac subitæ præoccupationis, sive talia, quæ committuntur, quin ea cognoscamus illo ipso instanti, quo committimus. Quæ tamen in his omnibus discernendis reperitur, difficultas homines sæpe impellit ad pernicioſissimas sequelas inde deducendas. Ex 2do enim principio nonnulli inferri debere contendunt, dari peccata actualia, à Deo nobis imputanda, ac punienda, quæ tamen nulla prorsus ratione libera nobis sint. Quod adfirmare, idem est ac tueri: in statu naturæ lapsæ ad merendum vel demerendum sufficere libertatem à coactione, non autem requiri libertatem à necessitate; quæ est formalis *Jansenistarum* hæresis. Certè libertas à necessitate non datur, ubi nulla datur voluntarietas, voluntarium autem sine cognitione non datur, quia nihil volitum nisi præcognitum.

ζ) Ad peccata *Libertinorum* quod attinet, cujusmodi sunt dissolutiones in materia luxuriæ & ebrietatis, impie-

tates

tates, contemptus, & omissiones piarum functionum inter Christianos usitatarum, uti audiendi Missam in diebus Dominicis & Festis, confitendi in paschate, jejunandi in Quadragesima, abstinendi ab esu carnium in diebus Veneris ac Sabbathi, & similia; hæc qui per in advertentiam fieri diceret, næ is risu omnium explodi mereretur. Quis vel solum imaginari sibi queat, talem hominem committere v. g. adulterium per inadvertentiam, quantumcunque etiam vehemens & roborata in ipso fuerit consuetudo impuritatis; vel eum violare jejunium quadragesimale manducando singulis diebus carnes, quin cogitet, vel apprehendat, quod taliter agendo Deum offendat. Vel solum exemplum, ac reliquorum Christianorum praxis, aliaque sexcenta objecta, quæ *Libertinorum* oculis obversantur, perpetuò suscitant in eorum mentibus ideam de offendendo Deo. Esto, nonnisi confusam de hoc ideam habeant; at in iis semper occasionibus istam habent, de quibus paullo ante dixi. Aliud est circa peccata cogitationum, aut etiam certorum verborum, in quibus ob vim consuetudinis inadvertentia locum habere aliquando posse videtur, quamvis sat multo opus sit tempore, usque dum ad eam perveniatur consuetùdinem, quæ id genus peccata absque ulla reflexione committi faciat. Multorum sæpe annorum intercapedine opus est, donec conscientia quasi cicur reddatur adversus illa monstra, quæ primis vicibus, cùm eidem sese repræsentarent, magno eam horrore perculerunt. Horror iste non omnino dissipatur, nec post millesimum fortassis peccatum, tunc maximè, ubi christiana educatio in animam certa pietatis semina sparsit, quæ penitus vix unquam suffocantur. Unde conficitur, non adeo magnum esse numerum hujusmodi peccatorum, quæ absque omni advertentia committi soleant. Sed sint talia; adhuc peccata sunt, & imputabilia in sua causa, cùm in sua causa prorsus libera fuerint, nec sint nisi sequelæ & effectus peccatorum omnino voluntariorum, & liberrimè iteratorum. Peccator ipse non potuit non animadvertere, fieri in se hac ratione consuetudinem, ideoque potuit ac debuit hanc peccandi necessitatem prævidere, quam hujusmodi consuetudine contraheret. Itaque ex eo tempore, quo consuetudo talis fuit, ut huic peccatori posset esse causa committendi

peccata sine ulla reflexione, ex eo, inquam, tempore peccata moraliter ob vim consuetudinis hoc modo committenda, ipsi ev.ferunt imputabilia in sua causa Quousque verò consuetudo creviſſe debeat, ut peccata non amplius dici queant libera in se ipsis, sed solum in sua causa; de hoc peccatores consuetudinarii ipsi certius ferre testimonium possunt, res enim sic comparata est, ut sola illis conscientia respondere possit

QUAESTIO II.

Utrum ignorantia invincibilis à culpa excuset?

61. Variæ sententiæ. Ignorantiam invincibilem *facti*, & *Juris positivi*, tam divini, quàm humani, tollere voluntarium, & à peccato formali excusare, ipsi etiam Hæretici fatentur; negat autem *Lutherus*, & post illum *Jansenius*, excusari à peccato formali operantem ex ignorantia invincibili Juris naturalis. Et prior quidem (cui etiam consentit *Calvinus* in c. 12. *Lucæ*) in c. 12. *Gen.* inquit: *Falsa est illa Scholasticorum celebris sententia de ignorantia invincibili excusante*; cùm antea in c. 1. *Gen.* dixisset: *Scholastici dicunt invincibilem ignorantiam reddere excusabiles: tanta cæcitas est in Papæ scholis, & ecclesiis.* Posterior autem L. 2. *de statu nat lapſ.* c. 2. ait: *Hìc igitur primò quæri potest: utrum aliqua sit ignorantia invincibilis juxta doctrinam Augustini, quæ tamen non excuset actum, qui inde sequitur, à peccato: generale namque videtur Scholasticorum pronunciatum esse, quòd, quidquid ex invincibili fit ignorantia, hoc ipso culpâ vacet. Quæ sanè doctrina quamvis humanæ rationi, qua nititur, valde plausibilis esse videatur; difficile tamen est cum Augustini do-*

doctrina eam conciliare, quam contra Pelagianos constanter asseruit. In eadem opinione fuerunt *Vendrochius* ad calcem 5. *ep Montaltii*, *Sinnichius* in *Saule exrege*, & generatim omnes *Baji* Sectatores. Discrimen verò inter legem naturalem & positivam sub nomine *Vendrochii* istud adsignat *Nicolius*, quòd sc. ignorantia Juris naturalis sit pœna peccati originalis, adeoque nobis omnibus voluntaria in causa; non item ignorantia Juris positivi, veluti quod Deus non teneatur ulli manifestare. Nempe contendebant *Baji*, & *Jansenii* assecl æ, ad peccatum formale sufficere in natura lapsa libertatem à coactione cum sola libertate indifferentiæ in causa sua; ideoque statuebant hanc propositionem: *Tametsi detur ignorantia invincibilis Juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato mortali.* Item hanc aliam: *In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & libertate Adami peccantis.* Quæ utraque damnata est ab Alexandro VIII. ann. 1690. Quin *Jansenius* eo temeritatis provectus est, ut c. 2. L. 2. *cit.* hunc præfigeret titulum: *Ignorantia, etiam quæ necessitatis est, non voluntatis, hoc est, invincibilis, non caret peccato, ut dogma Fidei ab antiquis traditum.*

Omnis ignorantia invincibilis, etiam Juris naturalis, excusat à peccato formali operantem ex ea. Nam 1°. quod homini voluntarium non est, nequit eidem imputari ad culpam: quod autem fit ex ignorantia invincibili est simpliciter involuntarium, quia non est cognitum, utpote invincibiliter ignoratum; 62. Ignorantia invincibilis excusat.

quodque non est voluntarium, etiam liberum non est, quia omne liberum est voluntarium; ergo. Unde S. Augustinus L. *de vera Relig.* c. 14. *Usque adeo*, inquit, *peccatum voluntarium est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium; & hoc ita manifestum est, ut nulla Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.* 2°. Ignorantia invincibilis, fatentibus adversariis, Juris positivi excusat à peccato formali operantem ex ea; cur similiter non excuset invincibilis ignorantia Juris naturalis? certè ad peccatum non sufficit, quod ignorantia legis sit pœna peccati originalis, & in illo quadam ratione voluntaria, quia ad peccatum personale requiritur voluntarium personæ, nec sufficit voluntarium naturæ, ut liquet ex cit. propos. damn. ab Alexandro Papa. 3°. Juxta Apostolum ad *Rom.* 1. Gentiles erant inexcusabiles, quia *cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*; igitur ex opposito fuissent excusati à culpa, si forte Deum invincibiliter ignorassent. 4°. *Mandata Dei gravia non sunt.* 1 *Joann.* 5. igitur impossibilia non sunt Dei præcepta; sed si invincibilis ignorantia legis naturalis à peccato formali non excusat, exigitur à nobis, quod impossibile est, omnesque nostras vires ad superandam hanc ignorationem superat; ergo. 5°. Communis hic est totius Ecclesiæ sensus, & una Ss. Patrum sententia. Inter cæteros S. Augustinus, in quo adversarii triumphant, L. 3. de *lib. arb.* c. 19. ait: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; sed quod negligis quærere, quod ignoras.* In quæ verba S. Thomas *q.* 3. *de malo a.* 7. ad 7. sic ait: *Dicendum, quòd ignorantia, quæ est omnino involuntaria,*

taria, non est peccatum: & hoc est, quod Augustinus dicit: Non tibi imputatur ad culpam, si invitus ignores; per hoc autem quod addit: Sed si scire neglexeris; dat intelligere, quòd ignorantia habet, quòd sit peccatum ex negligentia præcedente. Unde *loc cit.* ita prosequitur S. Augustinus: *Nam quòd ignorans quisque non rectè facit, & quòd recte volens facere non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt; illud enim præcedens meruit ista sequentia. Nam sicut linguam dicimus non solum membrum, quod movemus in ore, dum loquimur; sed etiam illud, quod hujus membri motum consequitur, id est, formam tenoremque verborum, secundum quem modum dicitur alia lingua græca, alia latina; sic non solum peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum (liberâ enim voluntate, & ab sciente committitur) sed etiam illud, quod jam de hujus supplicio consequatur necesse est.* Ubi S. D. disertè adfirmat, ignorantiam istam non esse nisi peccatum improprie dictum. Et c. 18. L. *cit. Quæcunque ista,* inquit, *causa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur; si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit incautum? ergo caveat, ne fallatur. An tanta fallacia est, ut caveri omnino non possit? si ita est, nulla peccata sunt; quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?* 6o. Damnatæ sunt hæ propositiones *Baji* 46. *Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium.* Et 68. *Infidelitas negativa in iis, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.* 7o S. Bonaventura in 2. *dist.* 22. *a.* 2. *q.* 3. ait: ignorantia *si nullo*

nullo modo sit voluntaria, nec ullum includat contemptum, excusat à toto. Et infra: *Si ignorantia sit talis naturæ, ut nec voluntarietatem, nec contemptum involvat, excusat totaliter à peccato.* Iterum S. Thomas 1. 2. *q.* 76. *a.* 2. *Manifestum est,* inquit, *quòd quicunque negligit habere vel facere id, quod tenetur habere vel facere, peccat peccato omissionis. Unde propter negligentiam ignorantia eorum, quæ aliquis scire tenetur, est peccatum; non autem imputatur homini ad negligentiam, si nesciat ea, quæ scire non potest. Unde horum ignorantia invincibilis dicitur; quia studio superari non potest: & propter hoc talis ignorantia, cùm non sit voluntaria, eoquod non est in potestate nostra eam repellere, non est peccatum. Ex quo patet, quod nulla ignorantia invincibilis est peccatum.* Petrus Lombardus L. 2. *Sent. dist.* 22. c. 4. sic habet: *Porro triplex datur ignorantia: prima est eorum, qui scire nolunt, cùm possint; & hæc ignorantia non excusat, quia & ipsa peccatum est. Secunda est eorum, qui volunt, & non possunt; hæc ignorantia excusat; est enim pœna tantum peccati, non peccatum. Tertia est eorum, qui quasi simpliciter nesciunt, nec renuentes, nec proponentes scire; & hæc ignorantia neminem plenè excusat, sed solum sic fortasse, ut minùs puniatur.*

Respondetur ad objecta.

Obj. I. *Gen.* 20. narratur, quòd Deus mortem minatus sit Regi *Abimelech*, quòd tulisset Saram, quam invincibiliter ignorabat esse uxorem *Abrahæ*. 1. *Reg.* 4. *Jonathas* morti addicitur, eoquod gustasset pa-

lu-

lulum mellis contra præceptum Regis patris, licet invincibiliter ignoratum. 1. *Reg.* c. 15. Saul à Deo rejectus est, quia servaverat Regem Amalec, ovesque & boves, quas Deo sacrificaret. *Lev.* 4. præcipiuntur sacrificia pro peccatis ignorantiæ. *Luc.* 12. v. 48. Servus, qui non cognovit voluntatem Domini sui, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Matth. 15. Christus reprehendit Judæos, quòd mandatum Dei irritum facerent, qui tamen eo fine negligebant curam parentum, ut divino cultui unicè vacarent. Ita *Jansseniani*. *Resp.* Ad 1*mum* *Abimelech* Rex laborabat ignorantiâ *facti*, & quidem vincibili, quia non satis inquisiverat, num *Sara* uxor Abrahæ esset; vel etiam puniri meruit, quia tulerat invitam Ad 2*dum*. Injusta fuit mortis sententia in *Jonathan* lata. Ad 3*tium*. Saul à Deo reprobatus est non propter peccatum ignorantiæ, sed inobedientiæ, præceperat enim Dominus: *Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire universa ejus: non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid: sed interfice à viro usque ad mulierem, & parvulum atque lactentem, bovem & ovem, camelum & asinum.* Ad 4*tum*. Sacrificia erant præcepta propter ignorantias ceremoniarum, quæ in præcedentibus à Deo fuerant constitutæ; istæ autem Juris positivi erant, ideoque ex ipsorum *Jansenistarum* placito ignorantia debuit esse vincibilis. Ad 5*tum*. Servus ille fecit digna plagis; igitur aliquo saltem modo cognovit voluntatem Domini. Ad 6*tum*. Sat crassa fuit illa *Pharisæorum* ignoratio, nam ex Jure tam naturali, quàm positivo sciebant eleemosynis succurrendum esse parentibus egenis.

Obj. II. In Synodo *Dioſpolitana* damnata eſt hæc *Cæleſtii* propoſitio: *Oblivio & ignorantia non ſubjacent peccato, quoniam non ſecundum voluntatem eveniunt, ſed ſecundum neceſſitatem*; igitur ex oppoſito ſubjacet peccato ignorantia, quæ non voluntatis eſt, ſed neceſſitatis, proin etiam ignorantia non voluntaria, & invincibilis. *Reſp.* Iſta propoſitio à Patribus Dioſpolitanis meritò damnata fuit, 1°. quia univerſaliter, & absque limitatione prolata fuerat à *Cæleſtio*, ita ut quamlibet ignorantiam, etiam vincibilem, a peccato eximere cenſeretur. 2°. Eſto: *Cæleſtiani* de ſola ignorantia Juris naturalis invincibili intelligi voluerint; adhuc iſta propoſitio jure proſcripta fuit propter ſenſum hæreticum, quo eamdem explicabant. Contendebant nempe *Pelagiani*, hominem propriis naturæ viribus opus quodcunque bonum perficere poſſe, neque gratiam ſupernaturalem neceſſariam eſſe; ideoque illam duntaxat ignorantiam ajebant eſſe vincibilem, quæ ſolis naturæ viribus ſuperari poſſet, eamque ſolam culpæ obnoxiam eſſe; invincibilem econtra & inculpabilem eſſe omnem ignorantiam, ad quam depellendam gratia ſupernaturalis foret neceſſaria. Idque ſatis conſtat ex teſtimonio S. Augustini L. de *nat. & grat.* dicentis de *Pelagio* c. 17. *Tractat iſte de peccatis ignorantiæ, & dicit hominem pervigilare debere, ne ignoret; ideoque eſſe culpandam ignorantiam, quia id homo neſcit negligentiâ, quod adhibitâ ſuâ diligentiâ ſcire debuiſſet. Dum tamen omnia potiùs diſputet, quàm ut oret, & dicat: Da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua . . . Vade, admonemur à Deo petere ſapientiam, qui dat omnibus*

bus affluenter, utique his omnibus, qui sic petunt, & tantum petunt, quomodo & quantum res tanta petenda sit. Præterea cùm *Cælestiani* negarent peccatum originale, omnemque adeò natam inde concupiscentiam, cæterasque illius peccati originalis reliquias, veluti mentis cæcitatem, & voluntatis in malum propensionem; ajebant hominem, & quidem facilè, perficere, quæcunque vellet, posse, atque ideo ignorantiam etiam illam dicebant invincibilem, quæ citra difficultatem superari non posset; idque ex Dialogis S. Hieronymi colligitur. Atque hæc erat *ignorantia necessitatis*, quam peccato subjacere negabant *Pelagiani*; quod adsertum meritò damnavit Synodus Diospolitana; falsum enim est dicere, ignorantiam per naturæ vires non facilè superabilem esse immunem à peccato, etiamsi nonnisi difficulter, & per gratiam vinci possit.

Inst. 1. S. Augustinus L. de *grat.* & *lib. arb.* c. 3. ait: *Illa ignorantia, quæ non est eorum, qui scire nolunt, sed eorum, qui tamquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat.* Et *ep.* 194. quæ est ad *Sixtum*, sic scribit: *Ac per hoc inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, sive qui novit, sive qui ignorat, sive qui judicat, sive qui non judicat: quia & ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est; in eis autem, qui non potuerunt, pœna peccati; ergo in utrisque non est justa excusatio, sed justa damnatio.* Idem S. Doctor L. de *nat.* & *grat.* c. 17. exprobrat *Pelagio*, quod dixerit, *ideo culpandam esse ignorantiam, quia id homo nescit negli-*

gentiâ suâ, quod adhibitâ diligentiâ scire debuisset, igitur ex mente S. Patris ignorantia invincibilis non excusat. *Resp.* Ad 1*mum*. S. Doctorem hìc loqui de ignorantia Juris positivi, patet ex contextu; addit enim: *Si propterea non credidit, quia non audivit omnino, quod crederet; sed fortassis ut mitiùs ardeat; non enim sine causa dictum est: Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non noverunt.* Invincibilis autem ignorantia Juris positivi juxta ipsos *Jansenistas* à culpa excusat. Dico autem, S. Patrem loqui de ignorantia vincibili indirecte volita, dum quis suâ culpâ fecit, ut non audiret, quod crederet. Idque colligere datur ex verbis: *qui tamquam simpliciter nesciunt, h. e.* qui neque positivè volunt ignorare, neque tamen sufficientem adhibent diligentiam, ut audiant prædicationem evangelicam; aut etiam obstacula ponunt, quominus audiant, quod credant. Quodsi verba laudata de ignorantia etiam invincibili Juris positivi intelligere velis, sensus erit, quòd talis ignorantia non ita excuset peccantem, ut non puniatur in inferno, non propter hanc ignorantiam, nec propter id, quod ex ea consequitur, sed propter alia peccata contra legem naturæ commissa, à quibus alioquin fuisset liberandus, si Evangelium fuisset ipsi prædicatum. Unde *Tract.* 89. in *Joann.* ait, eos, quibus Christus non est annunciatus, *habere excusationem non de omni peccato, sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt.* Ad 2*dum*. Similiter loquitur S. D. de iis, qui Legem evangelicam ignorant: & quidem eos, qui intelligere illam non potuerunt, dicit juste damnandos, non propter invincibilem hanc ignorantiam, sed

propter

propter reatum originis, à quo non liberantur. Ad 3*tium*. S P. exprobrat *Pelagio*, quòd diceret culpandam non esse ignorantiam, quæ per solam gratiam supernaturalem vinci posset; patet ex contextu supra laudato.

Inst. 2. Idem S. D. L 1. de *peccat. merit.* c. *ult.* ait: *Fit, ut per ignorantiam vel infirmitatem non exsertis adversus eam* (concupiscentiam) *totis viribus voluntatis, eidem ad illicita etiam nonnulla cedamus.* Et *ep.* 105. *Siquis*, inquit, *bonum putaverit esse, quod malum est, & fecerit hoc putando, utique peccat, & ea sunt omnia peccata ignorantiæ, quando quis bene fieri putat, quod malè fit.* Et *ep.* 194. *Humana superbia tamquam præsumens de viribus liberi arbitrii, excusatam se putat, quòd ignorantiæ, non voluntatis est, quòd peccet.* Ergo. *Resp.* Ad 1*mum*. Cùm *Pelagiani* negarent, ignorantiam & concupiscentiam esse pœnas peccati originalis, ut testatur S. Augustinus L. de *dono persev.* c. 11. *Dicunt Pelagiani ignorantiam & difficultatem, sine quibus nullus homo nascitur, primordia, non supplicia esse naturæ*; & L. 6. *contr. Julian.* c. 16. *Nos autem, qui eam concupiscentiam malam dicimus, & manere tamen in baptizatis, quamvis ejus reatus fuerit remissus, atque vacuatus*; adversus eos contendebat S. Pater, utramque peccati originalis stipendium esse, & ab illis, quamvis in se peccata propriè talia non sint, nos inclinari ad peccatum, & re ipsa nos peccare, nisi totis viribus resistamus. Ad 2*dum*. S. P. hìc loquitur de ignorantia facti, qua quis dubitat, an aliqua caro sit immolatitia, nec ne; ut patet ex his immediatè præcedentibus: *Si-*

quis

quis dubitat de aliqua carne, utrum immolatitia sit; & non est immolatitia; si eam cognitionem tenuerit, quòd immolatitia non sit, & eâ vescatur, non utique peccat; siquis autem bonum putaverit esse, &c. Ex quibus præterea colligitur, sermonem ibi esse de dubio practico, & ignorantia vincibili operantis. Ad 3*tium.* Loquitur ibi S. P. de peccato incredulitatis adversus *Pelagianos* dicentes, ad credendum non requiri gratiam internam, sed sufficere externam revelationem & prædicationem, ideoque ab omni peccato eos excusabant, qui non credebant, quia non audierant. S. Augustinus verò non eos solos dicebat inexcusabiles, qui audito Evangelio noluerunt credere, sed etiam eos, qui non crediderunt, quia non audierunt, vel quia culpâ suâ fecerunt ipsi, ne audirent; vel si credere simpliciter non potuerunt, quia peccato originario infecti sunt, quo verè constituuntur peccatores; ideoque subjungit: *Ac per hoc inexcusabilis est omnis peccator vel reatu originis, &c.* ut supra.

Inst. 3. Ss. Augustinus, & Hieronymus in suis disputationibus cum *Pelagianis* sæpe adserunt, *ignorantiam illorum, qui intelligere non potuerunt, sive quæ erat necessitatis, & non voluntatis, esse peccatum, & pœnam peccati.* Ergo. *Resp.* Dicunt esse peccatum non propriè, sed impropriè duntaxat, & metonymicè, inquantum est effectus peccati originalis, & rursum ad peccatum personale nos inclinat. Ita explicat ipse S. Augustinus L. 3. de *lib. arb.* c. 19. *Illud, quod ignorans quisque non rectè facit, & quod rectè volens facere non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis* (Adæ) *originem ducunt:*

cunt: *illud enim præcedens meruit ista sequentia. Nam sicut linguam dicimus, &c.* ut supra.

Obj. III. Ignorantia invincibilis Juris naturæ si excuset à culpa, foret illa optanda, essetque melior conditio eorum, qui ignorant legem, quàm qui cognoscunt, hi enim peccarent formaliter agendo contra legem, isti duntaxat materialiter; item à peccato excusarentur Ethnici colendo idola, & Hæretici de suis erroribus non dubitantes; quæ omnia videntur absurda. *Resp.* Ad 1*mum.* Quis non vehementer cupiat intelligere certam suarum actionum normam, ut ad præstitutum sibi finem ultimum perveniat? nonne melior optabiliorque sit conditio hominis Legem Evangelicam scientis conditio? atque eorum, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent? Ad 2*dum.* Falsò supponit *Vendrochius*, cujus hoc est argumentum, dari posse ignorantiam invincibilem Dei existentis. Ad Hæreticos quod attinet: cur isti, rudes præsertim & plebeji ignorantiâ invincibili juris positivi laborare nequeant?

Obj. IV. S. Bonaventura in *Speculo animæ* c. 3. ait: *Circa ignorantiam Juris naturalis nota, quòd nullus excusatur.* Quod ipsum repetit *Centiloquii p.* 1. *Ignorantia Juris naturalis non excusat.* Hinc etiam regula Juris 13 in 6. habet: *Ignorantia facti, non Juris, excusat.* Ergo. *Resp.* Ad 1*mum.* S. D. loquitur de primis Juris naturæ principiis, quæ nemo sanæ mentis ignorare potest, ait enim in priore loco: *Hoc autem Jus naturale appellatur illud, ad cujus cognitionem potest homo per naturalia attingere; constat enim, quòd qui tale quid ignorat, hoc ei ex negligentia contingat.* Et in 2do loco: *Ignorantia Juris natura-*

turalis non excuſat, cùm ſit ſcriptum in corde hominis. Ad 2*dum.* Regula hæc juxta morem JCtorum tenet maximè pro foro externo, fundaturque in præſumptione, quòd quisque non ignoret ea, quæ clari Juris ſunt. Si verò ad ſcientiam Juris naturalis reſtringas, & ipſa obtinet in iis, quæ ad prima principia ſpectant.

QUAESTIO III.

An dari poſſit invincibilis ignorantia Juris præſertim naturalis?

63. Variæ ſententiæ. *Janſenius* L. 2. de *ſtatu nat. lapſ.* c. 2. 3. *& ſeqq.* ideo negat ignorantiam Juris naturalis excuſare à peccato, eo quod iſta ignorantia, utut reſpectu noſtrî invincibilis atque involuntaria ſit, nihilominus pœna ſit peccati originalis. Ex antiquis autem TT. orthodoxis tametſi omnes concedant, quamlibet ignorantiam invincibilem, hoc ipſo quòd invincibilis, & involuntaria ſit reſpectu agentis contra legem, excuſare à peccato, nihilque eorum, quæ ex tali ignorantia fiunt, nobis imputari à Deo ad culpam; huic tamen propoſitioni: *Ignorantia invincibilis Juris naturalis excuſat à peccato*, videntur aliqui contradicere, ideo videlicet, quia ſupponunt hanc ignorantiam numquam perfectè invincibilem eſſe, ſed aliquo ſemper modo ex noſtra voluntate dependere. Ajunt nempe: *Facienti, quod eſt in ſe, Deus non denegat gratiam.* Homo itaque in hac, vel illa occaſione obligationem ſuam quòd ignoret, ipſe in cauſa eſt: culpâ enim hominis accidit, quod neceſſario ad cognoſcendam obligationem lumine ſit deſtitutus, quod Deus ipſi negavit in pœnam voluntariæ cujusdam ſocordiæ, quam adverſus Deum in alia quadam occaſione commiſit. Guilielmus *Pariſienſis*

Tract.

Tract. de LL. principium hoc: *Facienti*, &c. non modò ad ignorantiam legis naturalis, sed ad ignorantiam quoque legis positivæ, immo & *Facti* extendit; & quamvis fateatur, hominem in tali casu tam grave peccatum non admittere, ac fieret, si perfectam rei notitiam haberet, attamen contendit eum re ipsa offensæ contra Deum admissæ reum esse. Fatetur itaque *Jansenius*, dari in nobis ignorantiam invincibilem Juris naturalis quoad certa capita; negat verò eamdem nos excusare à culpa, eoquod pœna sit peccati Adamitici. Juxta antiquos autem nonnullos Ignorantia hæc ideirco non excusat à peccato, eoquod respectu nostrî non sit invincibilis, utpote effectus peccati cujusdam actualis, & posita per propriam nostram voluntatem. Systema hoc quamvis defendi possit absque errore in Fide, nam nulla datur Fidei regula, cui istud contrarium evinci possit, atque etiam à Doctoribus Catholicis propugnatum, nec etiam autoritate ecclesiastica reprobatum fuit; sufficiente tamen ratione destituitur, ut patebit ex dicendis.

64. Jus naturæ.

Jus naturale est ordinatio divinæ voluntatis necessaria circa actiones; vel omissiones creaturæ rationalis per rectam rationem promulgata. Duplicia sunt Juris naturalis principia, alia *prima* & *immediata*, quorum veritatem ratio humana nobis facilè manifestat; cujusmodi sunt: *Deum esse colendum*, *parentes esse honorandos*, *ne facias proximo*, *quod tibi non vis ab altero fieri.* Alia *mediata*, quæ per modum cujusdam necessariæ consecutionis ex illis deducuntur, & quidem eo majore, vel minore operâ, quo propius, aut remotiùs cum primis & generalibus principiis connexa sunt.

Huc

Huc pertinent obligationes particulares, quas in quolibet ſtatu, conditione, munere, ac generatim in quibusvis vitæ noſtræ circumſtantiis noſtra nobis ratio proponit; quarum præcipuas, & maximè eſſentiales penetrare diſcimus, ſtatim ac ratione ſic utimur, ut eam conſulere, atque in intimis conſcientiæ noſtræ penetralibus loquentem excipere valeamus. Nonnullæ etiam concluſiones particulares ut ritè deduci queant, opus eſt gratiæ, & Fidei lumine; ſic obligationem illam indiſpenſabilem, qua teneamur nomen dare Orthodoxæ Religioni, vitamque noſtram ad Legis Evangelicæ præſcriptum inſtituere; nemo ſatis umquam penetrabit, niſi interiore Spiritûs S. gratiâ præventus fuerit, & confirmatus.

65. Jus poſitivum.

Præter iſtas ordinationes, quas tamquam à Deo ſtabilitas ipſa recta ratio nobis proponit; dantur adhuc aliæ pariter à Deo nobis conſtitutæ, quæ circa vitæ noſtræ directionem ad magis particularia deſcendunt, atque ad certas circumſtantias, ad certos modos obligationes illas determinant; quas tametſi ratio modo quodam generali tam erga Deum, quàm erga proximum & ſemet ipſum proponat; in ſpecie tamen & ſingillatim hæ nonniſi per externam revelationem nobis innoteſcunt. Quæ omnes vocantur *Jus poſitivum*. Leges hujusmodi poſitivæ reſpectu Judæorum erant præcepta ceremonialia, quæ modos ac ritus peculiares præſcribebant, quibus Deus ab hoc coli populo volebat. Talia reſpectu Chriſtianorum ſunt præcepta Evangelii, Eccleſiæ & Superiorum Eccleſiaſticorum, &c. Hujusmodi leges qui ignorat, dicitur laborare *ignorantiâ Juris poſitivi*. Datur præterea *ignorantia facti*, ut

ſiquis

siquis sclopetum exonerans, loco feræ, quam se trajicere bona fide putabat, hominem occidit. Ignorantia tam *Juris*, quàm *facti* nasci potest vel ex nostra negligentia, vel ex impotentia, in qua sumus, & hactenus fuimus, discendi ea, quæ ignoramus. Si ignorantia effectus negligentiæ nostræ sit, ita ut penes nos solos steterit eam vincere, aut non vincere; dicitur, & est *vincibilis*. Si autem nostrarum virium non fuit eam superare, *invincibilis* nuncupatur. Istud tamen observari hoc loco debet: ut aliqua ignorantia censeatur vincibilis, ita ut imputetur ad culpam; non sufficit, quòd eam quis *physicè* queat vincere, sed necessum est, ut habeat potentiam *moralem*, *h. e.* ut habeat in sua potestate media ad illam vincendam idonea, eaque cognoscat ordinata esse ad ignorantiam illam depellendam; alioquin ista non erit moraliter voluntaria.

66. Systema TT. quorumdam VV.

Systema quorumdam ex TT. VV. negantium ullam dari ignorantiam invincibilem Juris naturalis sustineri non debet. Nam 1°. solido destituitur fundamento: etenim fundamentum hujus systematis est illud dictum: *Facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam*; hoc autem diversos recipere sensus potest; potest enim intelligi in sensu hæretico, quem ei adfinxerunt *Semipelagiani* dicentes, hominem facientem, quantum ex propriis naturæ viribus potest, mereri gratiam vocationis ad Fidem. TT. Orthodoxi disputant, quis hujus principii sensus genuinus sit. Ejusdem verò principii applicatio ad peccatum ignorantiæ prorsus arbitraria est: nam suppositio, actionem ex ignorantia contra legem positam nobis imputari, vel

quia pro obtinendo lumine Deum non oravimus, vel quia aliam commisimus in divinis socordiam, ob quam lumine isto privari merebamur; cur dicatur hanc pœnam nobis potius obvenire, ubi per ignorantiam contra Jus naturale delinquimus, quàm cùm contra Jus positivum agimus? est sane Jus hoc posterius æque morum nostrorum regula, ac illud prius. 2°. Immo & falsum est hoc systema: constat enim, quòd ipsi Ss. Patres, veluti Augustinus & Hieronymus, item S. Bonaventura, & S. Thomas sententias oppositas circa materiam Juris naturalis foverint; quis vero dicat, viros hos sanctitate eximios, Deoque acceptissimos hisce luminum subtractionibus admodum pœnalibus à Deo punitos fuisse? quid fiet cum plurima parte hominum illiteratorum, qui Theologos, Confessarios, aut Pastores suos circa casus quotidianos consulere coguntur? omnes isti, quantumcunque bonam intentionem habuerint, peccabunt, nisi Deus speciali providentia eos deduxerit ad consiliarios ejusmodi, qui actuali inspiratione divinâ ad eos bene instruendos idonei sunt constituti. Quis confessarii, Judicis & Pastoris partes sustinere vellet deinceps, aut posset citra periculum propriæ salutis amittendæ? aut certè in quantas perplexitates & perturbationes conjicerentur animi eorum, qui scientiis sanioribus ceteroquin probè imbuti arduis id genus muneribus humeros supponerent?

67. Dari potest ignorantia.

Dari potest ignorantia invincibilis non solùm Juris divini positivi tam apud Fideles, quàm infideles; sed etiam Juris naturalis, saltem quoad præcepta remotiora. Et quidem infideles inculpabili-

biliter ignorare Legem Evangelicam posse, liquet tum ex *propositi*, 68. *Baji* damnata: *Infidelitas negativa, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est*; tum ex Apostolo ad *Rom.* 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante?* & Christus ipse de Judæis *Joann.* 15. ait: *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo . . . Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, sc. infidelitatis. Igitur illi, qui nihil de Christo, ejusque operibus audierunt, nullum peccatum habent infidelitatis, ut loquitur S. Augustinus *Tract.* 89. in Joann. *Respondeo, habere illos excusationem non de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non est locutus.* Id quod multò magis tenet de Infidelibus Ethnicis, qui neque legem scriptam habent, neque Prophetas. Sed & Fidelis cur quædam Legis Evangelicæ præcepta aliquando invincibiliter ignorare nequeat? certè quod facit defectus promulgationis totius legis respectu Infidelium; idipsum efficit defectus promulgationis hujus vel istius præcepti respectu personæ particularis. De Ignorantia *Juris naturalis* cum quadam restrictione loqui oportet: nam illud AA. facile largiuntur, præcepta *prima & universalissima* invincibiliter ignorari non posse, cùm per se nota sint, & cuivis sanæ mentis statim appareant; id ipsum etiam dicendum videtur de conclusionibus ex iis *proximè* deductis, quia & istæ per facilem & quibusvis, etiam rudioribus, ob-

in. vinc. Jur. posit. & natur.

obvium discursum eruuntur. Certè qui novit nemini faciendam esse injuriam, hoc etiam intelligit, partem alteram contrahentem non esse lædendam. Unde Apostolus ad *Rom.* 2. inquit: *Cùm enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt; ejusmodi legem non habentes ipsi sibi lex sunt; qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut defendentibus in die, cùm judicabit Deus occulta hominum.* Ignorari tamen invincibiliter posse remotiora Juris naturalis præcepta, quæ ex primis principiis operosiùs deducuntur; pauci sunt, qui negent. *Quædam sunt* (inquit S. Thomas 1. 2. *q.* 100. *a.* 1. in ⊙.) *quæ statim per se ratio naturalis cujuslibet hominis dijudicat esse facienda, vel non facienda, sicut, honora patrem tuum; &, non occides, non furtum facies; & hujusmodi sunt absolutè de lege naturæ. Quædam verò sunt, quæ subtiliori consideratione rationis à sapientioribus judicantur esse observanda; & ista sic sunt de lege naturæ, ut tamen indigeant disciplinâ, qua minores à sapientioribus instruantur.* Et quis à rudibus exspectet, ut ea consectaria longiore, & operosiore discursu ex primis Juris naturæ principiis deducant, in quibus ipsi eruditissimi dissident? rectè itaque B. Albertus Magnus (& cum eo TT. ferè omnes) in 2. *dist.* 12. *a.* 10. inquit: *Ignorantia Juris est duplex, quia quoddam Jus est universale, quod omnibus imponitur ad sciendum; & quoddam est particulare, quod non scitur nisi per studium. Et puto, quòd prima est crassa & supina, non excusans.* Se-

cunda

cunda autem excusat vel à tanto, vel à toto, si est casus multùm difficilis.

Respondetur ad objecta.

Obj. I. Deus vult omnem suam legem impleri ab homine, alioquin frustra dedisset. *Resp.* Deus vult omnem suam legem impleri à sciente, non verò ab invincibiliter ignorante. Neque ideo inutilis est divina lex positiva, quia non desunt, qui sciant, & impleant; atque ii etiam, qui à statu ignorantiæ ad scientiæ lumen transferuntur, eidem se subjiciunt, nisi sponte & temere resistant.

Inst. Quivis adultus sanæ mentis, etiam infidelis, potest salutem suam consequi; proin etiam depellere valet eorum saltem ignorantiam, quæ scitu necessaria sunt ad salutem. *Resp.* D. C. Ergo potest physicè depellere talem ignorantiam, inquantum potest uberioribus à Deo gratiis præveniri, & adjuvari, ac etiam re ipsa talibus auxiliis instrueretur, si cum gratiæ adjutorio faceret, quod in se est. C. Potest semper depellere moraliter, ita, ut ipsi imputetur ad culpam, si non depellat. N. C. Esto autem, quòd infidelis homo gratiâ primâ sibi oblatâ non utatur; non sequitur continuò ignorantiam, quæ ad subtractionem ulterioris gratiæ sequitur, moraliter voluntariam, & imputabilem ad culpam esse, quia illa duntaxat ignorantia, quæ sequitur ex culpa, culpabilis est, quæ in culpa fuit prævisa, aut potuit humano modo prævideri. Infideles autem neque percipiunt, neque apprehendere moraliter possunt, oblatæ sibi gratiæ usum esse medium

dium à Deo ordinatum, & idoneum ad depellendam Fidei ignorantiam; de qua ne cogitant quidem, aut nunquam cogitarunt.

Obj. II. Fidelis adultus orationis & bonorum operum subsidio à Deo impetrare potest notitiam totius legis divinæ; igitur nonnisi vincibiliter ignorat. *Resp.* N. A. Quomodo Fidelis adultus oratione suâ flagitet illud, de quo nec cogitavit unquam, nec aliquid audivit. Sed petat: ubinam promissum aut revelatum est, hanc plenam notitiam à Deo concedendam esse? petierunt procul dubio Ss. Thomas & Bonaventura, ut de tempore, quo pœnitentia de admisso scelere agenda foret, statuere certi quid possent; & tamen alteruter ignoravit, cum ille voluit teneri hominem sine mora pœnitentiam agere; oppositum iste. Quod vero ait S. Augustinus L. 1. *retract.* c 10. Quòd omnes homines possint præcepta implere, si velint: quia lumen divinum illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; intellige, quòd homini non desit gratia necessaria ad implenda illa præcepta, ad quæ proximè obligatur, quia Deus impossibilia non jubet; ad ea verò præcepta, quæ quis invincibiliter ignorat, obligatio proxima non datur; nam ista libertatem proximam essentialiter aut includit, aut præsupponit; proxima autem libertas cum ignorantia invincibili locum habere nequit.

Obj. III. Facienti, quod est in se, Deus non deerit; si itaque homo operam humanam impendat, pravos adfectus & habitus ex animo eliminet, assiduè oret, iisque, quibus imbutus jam est, principiis rectè utatur; non foret Deus, ut ex ignorantia labatur; aut si labitur, vincibilis est hæc ignorantia.

rantia. Ita *Steyartius* aliique Lovanienſes. *Reſp.* Quod attinet ad prima & univerſaliſſima Juris naturalis principia; fatemur hæc à nemine adulto & rationis uſum habente diu invincibiliter ignorari poſſe, quia per ſe evidentia ſunt & aperta, nec ullis obnoxia dubitationibus, nullisque circumſtantiis obſcurioribus involuta Id ipſum, ſaltem generatim dici poteſt de conſectariis, quæ proximam cum illis connexionem habent. Ad remotiores autem concluſiones nonniſi longo & difficili ratiocinio ex iis deductas quod attinet; in his errare poſſunt, immo errarunt viri cæteroquin doctiſſimi, & ſanctitatis famâ celeberrimi, ut adeo cum ratione ſufficiente dicatur, ad ordinariam Dei providentiam non pertinere, ſemper & in omni eventu, cuicunque homini etiam facienti, quod in ſe eſt, communicare per ſemet ipſum notitiam eorum, quæ in primis principiis remotiùs continentur. Erravit certè S. Hieronymus *ep.* 11. apud *Auguſtin.* cùm docuit ſimulationem eſſe licitam; S. Augustinus L. 1. de Serm. Dom. in monte c 16 poſtquam retulit factum mulieris Antiochenæ, quæ mariti juſſu copiam ſui corporis fecerat alteri, ut ab eo auri libram acciperet, quo maritum à captivitate & injuſto mortis ſupplicio eriperet, non audet definire, conjuges illos peccaſſe inquiens: *Nihil hìc in alterutram partem diſputo, licet cuique æſtimare, quod voluit*; cùm antea de merito loquens dixiſſet: *Nullo modo judicans actum illum eſſe adulterinum, quòd & libido nulla, & magnâ mariti charitate, immo ſe jubente & volente flagitaret.* S. Thomas contendit Judicem teneri ad condemnandum innocentem juridicè probatum nocentem; oppoſi-

tum docet S. Bonaventura. Hos autem viros præstantissimos quis neget debita adhibuisse media, quibus veri notitiam consequerentur? Neque ideo Deus providentiæ suæ legibus defuit, tum quia lumen hujusmodi, quo quis remotiora etiam & obscuriora Juris naturalis principia haberet cognita, extraordinarium est; quod dare petentibus neque promisit, neque tenetur; tum quia talis notitia ad salutem necessaria non est, cùm absque illa vitari peccata formalia possint, & salus obtineri. *Ad divinam providentiam* (inquit S. Thomas *q.* 14. *de verit.* a. 11. ad 1.) *pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex ejus parte non impediatur.*

Inst. Ad ea, quæ Juris naturalis sunt, Deus non potest non obligare; proin etiam tenetur dare media, quibus in cognitionem illorum perveniatur. *Resp.* Deus non potest non obligare vel proximè, vel remote. C. Semper proximè. *Subd.* Non potest non obligare scientem. C. Invincibiliter ignorantem. N. A. Tota lex naturæ invincibiliter ignorari nequit ab omnibus, quia alioquin Deus nec providè gubernaret creaturam rationalem, nec obtineret finem, quem in productione creaturæ rationalis necessariò intendit, suam videlicet gloriam, divinarumque perfectionum manifestationem. Secus est, si ignorantur conclusiones particulares à primis principiis remotiores, & operoso nonnisi ratiocinio ex illis deductæ; etenim stante hac ignorantiâ adhuc datur sufficiens norma honestè operandi, promovendique gloriam Dei, & bonum totius universitatis. Siqui DD. veluti S. Augustinus *Tract.* 49. in *Joann.* S. Chrysostomus *Hom.* 24.

in

in *Matth.* S. Bonaventura in *Centiloq.* p. 1. S. Thomas Quodlib. 8. a. 13. Gratianus, Gerson aliique videntur negare, invincibilem Juris naturalis ignorantiam dari posse, intelligi debent de primis principiis, quòd ista nequeant invincibiliter ignorari; idque satis constat ex notionibus, quas Juri naturali indiderunt. Sic S. Augustinus *loc. cit.* ait: *Legem naturalem homines habent in corde defixam. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Ecce lex in corde tuo est: Quod non vis pati, facere noli.* Similiter S. Chrysostomus loquitur de primo Juris naturæ principio: *Quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis*; atque ad hujus ignorantiæ præsidium confugere ait impossibile esse Nec *Jansenistis* favet, quod habet S. Thomas *l. cit. Duobus modis aliquis ad peccatum obligatur, uno modo faciendo contra legem, ut cùm aliquis fornicatur; alio modo faciendo contra conscientiam, etiamsi non sit contra legem . . . Illud autem, quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc, quòd est secundum conscientiam*; nam certum est omne illud esse peccatum formale, quod est contra legem vincibiliter ignoratam, neque excusari per hoc, quod sit juxta conscientiam errore vincibili dictantem, esse licitum, quod agitur. Gratianus compilator *dist.* 1. *Jus naturale* dicit *esse, quod in Lege & Evangelio continetur, quo quisque jubetur alii facere, quod sibi vult fieri, & prohibetur alii inferre, quod sibi nolit fieri.* Gerson L. de *Pot. Eccles.* ait: *Veritates si cognoscantur per evidentiam naturalem, accipitur Jus propriè naturale.* Siqui alii ex an-

tiquis TT. negarunt ignorantiam Juris naturalis excusare à peccato, secuti sunt receptum hoc à Jure, maximè Civili axioma: *Ignorantia Juris neminem excusat*; verùm regula ista, quam in absolvendo, vel condemnando reo Leges respici volunt, non est alia, quàm negligentia præsumpta in addiscendis iis, quæ scire quis potuisset, & debuisset; quamvis & ipsi JCti quosdam, veluti milites, & mulieres ab hac universalitate exceperint.

CAPUT II.

De Libertate actûs humani.

68. Hostes libertati.

Hostes suîque impugnatores semper plurimos habuit hominis libertas: primi fuere, qui fati necessitate positâ, huic hominis etiam voluntatem subjecerunt; veluti *Democritus*, *Epicurus*, ac re ipsa *Stoici* quoque & *Platonici*, tametsi verbo aliter sentire viderentur. Tum HH. veteres, *Valentiniani*, *Manichæi*, ac reliqui similes, contra quos Ss. IRENAEUS, CLEMENS Alexandrin. & EPIPHANIUS disputarunt. His meritò accensentur *Mathematici*, sive Astrologi judiciarii omnia ex inevitabili siderum & planetarum influxu metientes. In posteriori ætate *Lutherus* liberum arbitrium dixit esse *titulum sine re*: nam inter ejus articulos à LEONE X. damnatos 36*tus* sic habet: *Liberum*, inquit, *arbitrium est figmentum in rebus, seu titulus sine re.* Hunc suum errorem uberiùs exposuit in Comment. ad c. 3. *Gen.* & in L. de *servo arbitrio* adversus *Erasmum*, ubi circa initium ait, *quidquid fit à nobis sive boni, sive mali, merâ necessitate fieri.* Quod docuerat *Lutherus*,